Ritter-Akademie zu Brandenburg.

Zu der

am 22. Maerz 1861 Vormittags 11½ Uhr im Festsaale
der Ritter-Akademie stattfindenden Feier

des

Allerhöchsten Geburtstages
Seiner Majestät des Königs

ladet ehrerbietigst und ergebenst ein

der Director
Dr. Ernst Köpke,
Professor.

V.

Inhalt des Programms:

1. Emendationum Livianarum pars altera. Vom Oberlehrer Dr. Adolf Koch.
2. Bericht über das Winterhalbjahr von Michaelis 1860 bis Ostern 1861.
Vom Director.

Brandenburg a. H., 1861.
Gedruckt bei Adolph Müller.

Emendationum Livianarum pars altera.

1, 5, 7: Romulus . . . aliis alio itinere jussis certo tempore ad regiam venire pastoribus ad regem impetum facit. Non memini me legere apud scriptorem Latinum certe non apud Livium impetum facere ad aliquem. Voci ad quae ex proximis ad regiam, ad apertam vim originem traxit substituendum est in.

1, 14, 9: Fidenates prius paene quam Romulus quique cum eo equis ierant circumagerent frenis equos terga vertunt. Ita post Gronovium locum constituit Hertzius ex codd. P B. Rectissime Madvigius intellexit duarum scripturarum quas sic conflatas M servavit quique cum eo quique cum equis abierant visi erant alteram in codd. P B contineri alteram in E quique cum eo visi erant. Qua quidem codicis E scriptura veram scriptoris manum traditam esse non credet nisi qui Livium planae et dilucidae narrationi obscurum dicendi genus praetulisse sibi persuaserit. Itaque scripturam illam non pro vera sed pro verae fundamento habebimus scribendo: quique cum eo [fugere] visi erant, cf. 6, 24, 4: integrant et illi pugnam qui simulata cesserant fuga.

1, 19, 4: Rem ad multitudinem imperitam et illis saeculis rudem efficacissimam deorum metum injiciendum ratus est. Multitudinem omnibus saeculis non regis Numae tempore tantum rudem et imperitam esse nec ignorasse Livius putandus est et, si Numae aetati insigniorem inscitiam attribuisset, utique dixisset multitudinem illis seculis imperitam et rudem. Verba ita transponenda sunt: rem ad multitudinem imperitam et rudem illis saeculis efficacissimam. Deorum metum illo tempore efficaciorem fuisse quam postea Livium non fugit.

1, 58, 3: Ubi obstinatam videbat (Tarquinius Lucretiam) et ne mortis quidem metu inclinari addit ad metum dedecus, cum mortua jugulatum servum nudum positurum ait. Non ad metum qualemcunque sed ad mortis metum ille non dedecus sed dedecoris metum addidit vel ut cum Livio breviore dicendi genere utamur, ad mortem dedecus.

2, 5, 8 (in describenda poena de Bruti filiis sumpta): Nudatos virgis caedunt securique feriunt, cum inter omne tempus pater vultusque et os ejus

spectaculo esset eminente patris animo inter publicae poenae ministerium. Merito offendit editores quod Livius ab omnibus qui eandem rem narrant scriptoribus mire dissentit. Quae quidem difficultas eo augetur quod quum omnino narrationis momentum vertatur in Bruti constantia ne filiorum quidem morientium adspectu perturbata tum apud Livium maxime omnia ad hanc Bruti constantiam praedicandam spectare facile apparet. Itaque ut dicat scriptor quod dicere debet scribendum est: [minime] eminente animo patrio.

2, 30, 4: Curae fuit consulibus et senioribus patrum ut imperio suo vehemens mansueto permitteretur ingenio. Non habeo quod Madvigii disputationi addam qua vulgatam scripturam imperium suo refellit. Quod ipse conjecit imperi vis vehemens non minus quam ceterorum conata a codicum vestigiis discedit. Hic quoque qui saepe Livio salutem attulit Heerwagenius veri inveniendi viam praeivit conjiciendo magistratus imperio suo vehemens. Livius scripsit: ut imperio suo vehemens [munus] mansueto permitteretur ingenio.

2, 34, 6: Ea clade conterritis hostium animis ut etiam ubi ea remisisset terrore aliquo tenerentur, cet. M eam remisset, Pal. eam remisisset. Non offenderent verba scriptoris nisi codicum littera m post ea suspicionem afferret. Quo vestigio usi si scripserimus ubi ea m[ora] remisisset, ita demum sermonis Liviani elegantiam reciperatam esse apparebit.

2, 41, 9: Adeo propter suspicionem insitam regni velut abundarent omnia munera ejus in animis hominum respuebantur. Verborum in animis quanta perversitas sit quum nec animo nec in animo quidquam respuatur quamquam Weissenbornium non praeteriit, acquievit tamen in lectione recepta. Hic quoque difficultatem transpositione tollemus scribendo: propter suspicionem in animis hominum insitam regni, cf. 2, 49, 12: ab insita animis levitate, 23, 14, 1: praeter insitam industriam animis; 28, 40, 7: insitae ingenio meo cunctationis; 30, 32, 7: insita animis perfidia.

2, 42, 9: Sed ad bella externa prope supererant vires abutebanturque iis inter semet ipsos certando. Repugnant haec consilio scriptoris quem re vera neque ulla exceptione posita vires superfuisse Romanis affirmare probat quod addit iis abusos esse bellis domesticis. Itaque prope quod ex proximis prope quotidianas irrepsit delendum est.

2, 56, 4: Huic actioni gratissimae plebi cum summa vi resisterent patres neque quae una vis ad resistendum erat ut intercederet aliquis ex collegio adduci posset cet. Scribendum est quae una via ad resistendum erat, cf. 4, 48, 6: proavum enim suum Ap. Claudium ostendisse patribus viam unam dissolvendae tribuniciae potestatis per collegarum intercessionem; 21, 10, 4: juvenem flagrantem cupidine regni viamque unam

ad id cernentem; 3, 35, 6: viam ad continuandum magistratum quaerentis; 2, 44, 1: is eandem viam ingressus . . . delectum paulisper impediit.

3, 19, 6 (in oratione L. Quinctii in Virginium quod cives a proelio cum Herdonio committendo arcuerit, invehentis): Hic negando bella esse arma nobis ademit. Non de pluribus bellis sed de uno quod contra servos gerendum erat, sermo est ut cap. 6, 5 legimus Virginium contionantem non bellum sed vanam imaginem belli Capitolium insedisse. Itaque scribemus: negando bellum esse.

3, 38, 4: Non nuntii solum sed per urbem agrestium fuga trepidationem injecit. Nec agrestium fuga omnino per urbem sed in urbem facta est nec verba per urbem collocatione ita insignire licet quasi fuga per urbem ab alia quadam fuga distinguatur nec denique praetermittendum erat, Romae trepidationem illam injectam esse. Itaque scribendum est: non nuntii solum sed agrestium fuga per urbem trepidationem injecit, cf. 3, 69, 2: et agrestium fuga spoliatique in agris totam urbem ira implevere.

3, 39, 5: Superbiam violentiamque tum perosos regis; quae si in rege tum eodem aut in filio regis ferenda non fuerint quem laturum in tot privatis. Verba tum eodem Bekkerus seclusit; emendare conati sunt Weissenbornius et Koenigshoffius, quem laudat Hertzius, quorum uterque recte intellexit requiri quod voci tot respondeat, sed conjiciendo ille uno quidem hic tunc uno nec arti satisfecerunt et sermonem effecerunt salebrosum. Scripsit Livius: in rege tantummodo aut in filio regis. Eodem capite § 9 in verbis cujus illi partes essent rogitare? populares? quid enim eos per populum egisse quum non caussa sed cum indignatione admiratio significetur, scribendum est: quid tandem eos per populum egisse?

3, 52, 2 (in oratione M. Duelli patres plebi cessuros esse confirmantis): Admoniturum Sacrum montem constantiae plebis sciturosque sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant. Ita codices. Quod Madvigius dicit agi de cura patrum ne, si plebs per se tribunos creaverit, concordiae spes omnis tollatur, apud Livium quidem in eodem capite Valerium et Horatium prorsus alios terrores patribus intentantes videmus. Sacri montis et plebis constantiae mentio ipsa res denique ostendit, de plebe nonnisi tribunatu a patribus restituto in urbem reditura sermonem esse. Itaque scriptoris verba in hunc modum reciperabimus: restiturosque [tribunatum] sine [qua] restituta potestate redigi in concordiam res nequeant.

3, 56, 7: Et dum pro se quisque deos tandem esse et non neglegere humana fremunt. Intelligitur quomodo quis tandem edoceri vel credere possit deos esse, tandem deos esse nemo sanus fremere potest. Itaque scribendum est: deos tamen esse cet.

4, 7, 4: Legati ab Ardeatibus Romam venerunt ita de injuria queren-

tes ut si demeretur ea in foedere atque amicitia mansuros restituto agro appareret. Quum ager restitutus non foederis et amicitiae Ardeatium pars sit, sed eo injuria demenda contineatur, non dubitabimus haec ita transponere: si demeretur ea agro restituto cet.

4, 9, 3: Factionum . . . quae fuerunt eruntque pluribus populis magis exitio quam bella externa. Duplicem comparationem quam Weissenbornius dicit quum agnoscere nequeam (agnoscerem si scriptum esset pluribus populis quam hominibus) vocem pluribus, pro qua Sigonius legit potentibus, delendam esse censeo.

4, 10, 8: Aequavit Quinctius . . . gloriam collegae quia concordiae pacisque domesticam curam jura infimis summisque moderando ita tenuit ut cet. Hic primum merito offendit Gronovius in domesticam quod mutavit in domesticae; sed offendit etiam curam tenuit quod a scriptorum Latinorum usu prorsus abhorrere contendo. Utrumque vulnus cohaeret, cui medebimur scribendo: concordiae pacisque domesticae eum cura . . . ita tenuit.

4, 22, 5: Ipse diversissimis locis subeundo ad moenia quadrifariam diviso exercitu qui alii aliis succederent ad pugnam . . . a sensu operis hostes avertebat. Occultat difficultatem Weissenbornius dicendo qui ad singulas quattuor partes referri. Scribendum est quum alii aliis succederent. Simile vitium frustra Rhenanus 4, 29, 6 scribendo quum qui pro quem qui sustulit.

4, 27, 4: Ita quattuor exercitus totidem munimenta planitiem in medio non parvis modo excursionibus ad proelia sed ad explicandas utrimque acies satis patentes habebant. Immerito Klockium qui ad proelia addubitabat nemo editorum secutus est. Nec omnino excursiones ad proelia sermonis Latini usu defendere licet et parvae excursiones ad proelia prorsus perversae et ridiculae sunt. Vitium tollemus scribendo ac proeliis ut statim narratur nec cessatum a levibus proeliis est.

5, 39, 10: Placuit juventutem militarem . . . in Capitolium concedere armisque et frumento collatis ex loco inde munito deos hominesque et Romanum nomen defendere. Maluit Weissenbornius quem locus 5, 43, 3 inde ex loco superiore non fugisset, artificiose vulgatam defendere quam emendare scribendo: inde ex loco munito.

5, 51, 10: Hostes qui caeci avaritia in pondere auri foedus ac fidem fefellerunt. Scribendum est in[iquo] pondere auri, cf. 5, 48, 9 pondera ab Gallis allata iniqua.

5, 54, 6: Verborum quae ratio est expertis alia experiri sententiam recte expressit Madvigii conjectura desertis expertis; sermonem durum et insolitum eam habere ipse non negavit. Scripsit Livius: quae ratio est [pro] expertis alia experiri.

6, 1, 11: Insignemque (diem Alliensem) rei nullius publice privatimque agendae fecerunt. Veri viam praeivit Freudenbergius qui de Livio non semel bene meruit conjiciendo: insignemque religione rei ullius agendae. Scribendum enim est insignemque [more] rei nullius agendae.

6, 11, 3: (M. Manlius) aegre ferebat solum eum (Camillum) in magistratibus solum apud exercitum esse, tantum jam eminere ut eisdem auspiciis creatos non pro collegis sed pro ministris habeat. De pravitate scripturae vulgatae recte disputavit Madvigius, medela quam attulit solum eum in magistratibus solum apud exercitum tantum jam eminere propterea repudianda est quod qui aegre fert solum aliquem tantum eminere ut collegas pro ministris habeat postulare videtur ut pluribus ita vivere liceat, id quod perversum est. Scribendum est: solum apud exercitum esse [honoratum], tantum jam eminere cet

6, 36, 12: An placeret fenore circumventam plebem ni potius quam sortem creditum solvat corpus in nervum ac supplicium dare. Ita cum codicibus P M scripserunt Bachofenius et Hertzius. Quae hujus loci sententia sit quum in universum neminem fugiat nondum tamen contigit ut quomodo emendandus esset inveniretur. Neque enim potius significare potest majorem summam ut voluerunt Gronovius et Weissenbornius, quorum alter conjecit potium quam sorte creditum alter potius quam creditum, nec Bachofenius rem expedivisse putandus est voci creditum incredibiliter notionem sortis usuris cumulatae tribuendo. Quamquam hoc quidem ille recte intellexit potius nihil aliud quam adverbium esse; quod si tenebimus satis leniter locum ita emendabimus: ni [usuris] potius quam sorte creditum solvat. Ita ipsum illud aes alienum usuris cumulatum (Liv. 2, 23, 6) oratorio acumine satis aperte significatur.

7, 6, 3: Tum M. Curtium . . . castigasse ferunt dubitantes an ullum magis Romanum bonum quam arma virtusque esset. Difficultatem quam his verbis inesse Weissenbornius sensit, Madvigius luculenter demonstravit, tollemus scribendo castigasse ferunt dubitantes [quaerendo] an ullum cet., cf. 40, 14, 6: te quaerere jubebat an ferrum habuissent.

7, 12, 5: Alius adventus hostium fuit proximo bello agris terribilior quam urbi. Mendum hic latere demonstravit Madvigius. Conjectura ejus alius adventus hostium fuit proximis bello agris terribilior quam urbi non minus vitiosa est quam vulgata quum ad agros bello proximos alii minus propinqui referantur necesse sit qui non commemorantur, nec omnino hic ullum aliud discrimen quam agrorum et urbis significari appareat. Itaque scribendum est: alius adventus hostium fuit proximo anno agris terribilior quam urbi.

7, 24, 8: Quod editissimum inter aequales tumulos occurrebat oculis arcem Albanam petunt. Sicuti non singulari ut Weissenbornius ait sed ridiculo

dicendi genere uti putandus sit, qui dicat: unum inter ceteros colles eminet, ita ne hunc quidem locum vitio carere affirmare licet. Scribendum est: quod editissimum inter aequales tumulos occurrebat oculis [cacumen] arcem Albanam petunt.

7, 25, 9 (in defectione sociorum): Decem legiones scriptae dicuntur quaternum milium et ducenorum peditum equitumque trecenorum quem nunc novum exercitum si qua externa vis ingruat hae vires populi Romani . . . haud facile efficiant. Livii aetate non potuisse Romanos quamvis in re subita talem exercitum qualis hic describitur cogere incredibile est. Itaque rectissime Christius quem Drakenborchius laudat judicavit, hic de exercitu civium vere Romanorum agi, quae sententia eo confirmatur quod in exercitus propter defectionem Latinorum scribendi necessitate narranda paullo ante Livius dixit civili quippe standum exercitu esse quando socialis desereret. Restat igitur ut locum ita emendemus: quem nunc civium exercitum cet.

7, 34, 65 (de P. Decio, qui centuriones ut secum aptissimam ad erumpendum viam explorarent adhortatus erat): Haec omnia sagulo gregali amictus centurionibus item . . . ductis . . . perlustravit. Nec haec omnia ad proxima, ubi duae tantum res, exitus et praesidia, commemoratae erant, relatum placet nec abruptus ab oratione ad rem actam narrandam transitus. Scribendum esse videtur: haec [locutus] omnia . . . perlustravit, cf. 34, 15, 6: consul omnia oculis perlustrat et 10, 34, 7: duas turmas explorare omnia jubet.

9, 7, 6: Jam Romae etiam sua infamis clades erat (Caudina pax); obsessos primum audierunt, tristior deinde ignominiosae pacis magis quam periculi nuntius fuit. Quod Weissenbornius ait voce magis ignominiosam pacem et periculum inter se referri, nescio quae haec sit relatio, quum nec ipsa deditio periculum vocari possit nec obsessio per se ignominiosa; multo certe pax ignominiosior erat quam cujus ignominiam cum illa comparari liceret. Itaque restat ut vocem magis duplicata voce pacis ortam deleamus.

9, 11, 10: Ego vero istos quos dedi simulatis nec accipio nec dedi arbitror nec moror quominus in civitatem obligatam sponsione commissa iratis omnibus deis quorum eluditur numen redeant. Intelligi haec aliquo modo posse concedendum est viris eruditis qui de significatione locutionis sponsionem committere apud Drakenborchium doctissime disputant, sed codices repugnant. Habent enim oblactam M P F, sponsionem M L. Inde haec efficiuntur a sententia quoque ut arbitror vulgatae praeferenda: in civitatem ob fractam sponsionem commissam iratis omnibus deis, quae proxime accedunt ad Oxoniensis N lectionem ab Hearnio laudatam ab editoribus neglectam: in civitatem ob ruptam sponsionem commissam cet.

9, 13, 8: Quae regio si fida Samnitibus fuisset aut pervenire Arpos

exercitus Romanus nequisset aut interjecta inter Romam et Arpos penuria rerum omnium exclusos a commeatibus absumpsisset. In voce interjecta interpretanda miris artificiis Gronovio vestigiis insistens abutitur Weissenbornius, quum ad interjecta regio suppleri jubet, ut regioni tribuatur quod in incolas convenit. Non eo progressus erat Gronovius qui absumpsissent conjecit ut ad interjecta audirentur loca. Mihi et inepte dici videntur loca exercitum penuria absumpsisse neque ullo pacto regio ad interjecta referri posse. Itaque ulcus altius latens hic agnoscendum est quod tollemus scribendo: aut intercepto itinere Romam et Arpos penuria exclusos . . . absumpsisset, cf. 25, 39, 1: medio itinere intercepto.

9, 14, 2 (de Papirio, quem legati Tarentini ut bellum omitterent monuerant): Cum collega se communicaturum respondit accitoque eo cum tempus omne in apparatu pugnae consumpsisset, collocutus de re haud dubia signum pugnare proposuit. Non attinebat de re haud dubia colloqui; factum non esse probant verba cum omne tempus in apparatu pugnae absumpsisset. Itaque scribendum est: quum tempus consumpsisset [non] collocutus cet.

9, 39, 10: Tunc vinci pertinacia coepta et averti manipuli quidam et ut semel dedere terga etiam certiorem capessere fugam. Quum nec certior fuga explicationem habeat nec intelligatur quomodo paucorum illorum manipulorum fuga proelium dirimi potuerit, leni mutatione scribemus: ei ut semel dedere fugam, etiam certiores capessere fugam.

9, 44, 4: Memoriane fugerit in annalibus digerendis an consulto binos consules falsos ratus transcenderit (L. Piso) incertum est. Nec a sententia nec a codicibus qui habent memoriaene haec commendari recte intellexit Madvigius. Emendatio loci haec est: memoriaene fuerit [vitium] in annalibus digerendis cet.

10, 2, 13 (de Patavinis Graecorum classem aggredientibus): Fugientesque in altum (naves) acrius quam repugnantes usque ad ostium amnis persecuti. Quando acris fuga quomodo defendi possit nescio, scribendum esse censeo: fugientesque in altum verius quam repugnantes cet.

10, 24, 7 (in oratione Q. Fabii ad populum): Postremo se tendere nihil ultra quam ut si dignum provincia ducerent in eam mitterent; in senatus arbitrio fuisse et in potestate populi futurum. Ut omittam post dignum pronomen se requiri et male provinciae de qua agebatur nomen praetermitti, omnino apparet, Fabium hic non de Etruria potissimum quam ut extra sortem haberent provinciam patricii tendebant agere, sed arbitrium de provinciis tribuendis totum populi facere. Itaque scribendum est: quam ut qua se dignum provincia ducerent, in eam mitterent.

10, 25, 12: Romam ipse (Q. Fabius) ad consultandum de bello rediit sive

ipse sponte sua quia bellum ei majus in conspectu erat quam quantum esse famae crediderat. Quum nec imperfectum erat pro plusquamperfecto aptum sit nec bellum ut exercitus similia dici possit in conspectu esse, scribendum est mutatione fere nulla: quia bellum ei majus [visum] in conspectu erat. Famae opponitur belli species praesenti oblata.

10, 28, 3: Persuasum erat duci et Samnites et Gallos primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit; longiore certamine sensim residere Samnitium animos cet. Totum orationis pondus in primo Gallorum et Samnitium impetu nititur, quem qui sustinuerat jam victoriam reportasse judicandus erat neque longiore certamine egebat. Itaque scribendum est: quem sustineri satis sit

10, 41, 6: Ex transverso pulvis velut ingentis agminis incessu motus apparuit. Sp. Nautius . . . dux alaribus cohortibus erat. Et structura dux cohortibus frustra defenditur et in hac quidem re male cohortium mentionem prae duce negligi quivis videt. Itaque scribendum est: Sp. Nautius . . . cum alaribus cohortibus erat, ut 40, 8: Sp. Nautium mulos detractis clitellis cum cohortibus alariis in tumulum . . . circumducere jubet.

10, 46, 6: Auctaque ea invidia est ad plebem quod tributum etiam in stipendium mititum collatum est quum si spreta gloria fuisset captivae pecuniae in aerarium illatae et militi tum dari ex praeda et stipendium militare praestari potuisset. Vitium vocis tum demonstravit Madvigius; pro eo quod conjecit donum aut munus paullo melius scribemus: et militi [aliquan]tum dari ex praeda . . . potuisset.

21, 60, 9: Castra militem ditavere non ejus modo exercitus qui victus erat sed et ejus qui cum Hannibale in Italia militabat. Postquam scriptor narravit, Romanos Cissi oppido et castris Poenorum expugnatis ex oppido quidem praedam parvi tantum pretii egessisse, jam ad castra transiens non potest si quid video addere: non ejus modo exercitus qui victus erat, multo minus autem Hannibalis in Italia militantis exercitus castra appellare caras illas res quas, ne gravia impedimenta ferentibus essent, reliquerant. Itaque scribendum est: castra militem ditavere non ejus modo [praeda] exercitus cet.

22, 24, 5: Dein castra ipsa propius hostem movet . . . in tumulum hostium conspectum. Ita codices. Scribendum est: in tumulum [in] hostium conspectu [situ]m cf. 9, 28, 7: insulam sitam in conspectu litoris.

22, 31, 10: Quam moram (dictatoris a Servilio consule dicendi) quia exspectare territa jam clade civitas non poterat, eo decursum est ut a populo crearetur qui pro dictatore esset. Nec particula jam apta est quia ante pugnae Cannensis terrorem de dictatore dicendo nemo cogitavit et cladis illa accuratius significanda erat. Itaque scribemus: territa tanta clade civitas, cf. 22, 56, 2: reliquias

tantae cladis velut ex naufragio colligentem; 27, 2, 1: Marcellus nihil admodum tanta clade territus; 22, 61, 14: consuli ex tanta clade redeunti.

22, 32, 5 (in oratione legatorum Neapolitanorum): Scire sese populi Romani aerarium bello exhauriri et cum juxta pro urbibus agrisque sociorum ac pro capite atque arce Italiae . . . geratur aequum censuisse cet. Codices habent gerantur. Quum praeterea quod Weissenbornium non fugit sermo durus sit et exspectes potius quod quum quam et quum, scribendum esse videtur: et quum . . . terantur, cf. 6, 27, 7: ut in armis terant plebem.

22, 38, 11 (in oratione L. Pauli): Optare ut quae caute ac consulte gesta essent, satis prospere evenirent. Causa cur satis ad prospere additum sit in oratione ejus qui omnem eventum in cautione ac providentia positum esse judicat excogitari potest nulla. Itaque vereor ne loco ejus vocis mutato scribendum sit: optare ut quae satis caute ac consulte gesta essent, prospere evenirent.

22, 42, 11: Nam forte ita evenit, ut cum referri signa in castra jubenti consuli milites non parerent servi . . . profugerent eo die ad dominos. Quum deorum numen qui ut Livius ait pestem Romanis distulerunt eo ipso apparuisse significetur, quod quo tempore militibus non parentibus res in summum discrimen vocata erat servorum illorum indicium intervenit, non potest ferri additamentum vocum eo die quae ex proximo enunciato di prope ipsi eo die magis distulere quam prohibuere imminentem pestem Romanis originem traxerunt.

22, 54, 9: Consule exercituque ad Trasimennum priore anno amisso non vulnus super vulnus sed multiplex clades cum duobus consulibus duo consulares exercitus amissi nuntiabantur. Non video quomodo vulnus super vulnus et multiplex clades, id quod Weissenbornius Perizonium secutus voluit, contrarie inter se referri liceat sive vulneris et cladis notiones sive numerus in voce multiplex latens spectatur. Itaque recte Gronovium fecisse judicandum est quod ad conjiciendum confugit, quamquam quod scripsit nunc vulnus super vulnus et multiplex clades propter leges grammaticas voce nunc violatas ferri nequit. Scribendum est: novum vulnus super vulnus et multiplex clades, cf. 22, 53 6 malum praeterquam atrox super tot clades etiam novum; 22, 61, 3: novusque super veterem luctus.

22, 60, 2: Feminas quoque metus ac necessitas in foro turbae virorum immiscuerat. Haec scriptura nec codicibus commendatur qui habent in foro ac nec sententia quoniam paullo ante dictum erat illam turbam in comitio fuisse. Itaque scribendum est: feminas quoque metus ac necessitas imploranti turbae virorum immiscuerat.

23, 5 15 (in oratione Terenti consulis ad Campanos): Triginta milia peditum quatuor equitum arbitror ex Campania scribi posse; jam pecuniae affatim

est frumentique. Quum copiarum a Campanis scribendarum et pecuniae comparandae prorsus eadem ratio sit, nec hujus superiore tempore minorem copiam quam illo de quo agitur iis fuisse credibile sit, scribendum esse apparet etiam pecuniae cet. Quem locum affert Weissenbornius ad vulgatam defendendam 1, 9, 9: multi mortales convenere jam Sabinorum omnis multitudo venit eum jam Scheibius quem Hertzius secutus est correxit.

23, 11, 3 (in oraculo a Fabio Delphis Romam portato): Pythio Apollini republica vestra bene gesta servataque lucris meritis donum mittitote. Suo jure Gronovius in vocibus lucris meritis offendit quas ne Weissenbornius quidem probabiliter defendisse censendus est interpretatione vernacula: nachdem ihr Vortheile erlangt, euch derselben würdig gemacht habt, quum adipisci quod hic solum quadrat non idem sit atque mereri. Aut ego fallor aut Livius scripsit: Pythio Apollini republica vestra bene gesta servataque dignum meritis donum mittitote, ac videndum est ne 22, 10, 2 quoque si respublica . . . stet ut velim . . . datum donum duit populus Romanus ubi de pravitate vocis datum disputanti Madvigio prorsus assentior, legendum sit dignum donum.

23, 14, 12: Marcellus collaudatis Nolanis eadem simulatione extrahi rem in sunm adventum jussit, interim celari quae secum acta essent spemque omnem auxili Romani. Editores qui de hoc loco silent verisimile est cum deterioribus codicibus esse ad spem omnem supplevisse. Sed ridicule Marcellus a quo ipso Nolani opem petiverant spem ejus auxilii esse quod ipse ferre statuerat responderet; is tantum qui aliunde illud auxilium appropinquare audiverat ita loqui poterat. Itaque scribendum est: spemque ostendit auxilii Romani; cf. 40, 27, 1: postquam nihil usquam auxilii ostendebatur.

23, 16, 3: Marcellus sub adventum hostium intra muros (Nolae) se recepit . . . instrui deinde utrimque acies coeptae, Romanorum pro moenibus Nolae, Poenorum ante castra sua, proelia hinc parva inter urbem castraque et vario eventu fiebant. Etiamsi ut uno proelio decertaretur acies instructae essent, offenderet vox coeptae, qua in tali apparatu rei primariae describendo nemo utetur, nedum ut ferri possit in re durante et saepius repetita. Itaque scribendum est: instrui deinde utrimque acies quotidie, Romanorum cet.

23, 17, 7: Hannibal Acerris direptis atque incensis quum a Casino dictatorem Romanum legionesque nimis accipi nuntiassent . . . exercitum ad Casilinum ducit. In Madvigii conjectura quam egregia disputatione firmavit: quum a Casino dictatorem R. legionesque venire Numidae citi nuntiassent, vix tamen cuiquam Numidas citos probatum iri arbitror. Vestigiis ejus insistentes scribemus: quum a Casino dictatorem R. legionesque venire missi equites nuntiassent.

23, 29, 6: Cum hoc modo instructi starent, imperatorum utriusque partis haud ferme dispares spes erant, nam ne multum quidem aut numero aut genere militum hi aut illi praestabant. Apparere opinor id ipsum quo aliquid efficiatur non posse re illa non effecta particulis ne quidem includi, requiri potius quod contrarium sit. Itaque hic, quia si multum alterius utrius partis milites praestitissent sane fuisset, cur imperatorum spes differrent, ne multum quidem verum esse nequit. Aut dicendum erat non multum aut particulis ne quidem significandum quod notioni multitudinis contrarium esset. Scribemus igitur: nam ne minimum quidem.

23, 30, 7: Itaque urbe a defensoribus vasta facile hostes potiti sunt. Frustra haec defenduntur loco Sallustii Iug. 48: mons et ab natura et ab humano cultu vastus quem prorsus alius generis esse voces a natura ostendunt. Rectissime Sigonius scripsit urbe a defensoribus vacua; contulit 42, 63, 6: vacua defensoribus moenia; addere poterat 28, 20, 3: urbis partem a defensoribus vacuam; cf. praeterea 32, 8, 10: vacuum praesidiis regnum; 27, 17, 6: vacua ora classibus.

23, 42, 12 (in oratione Campanorum ad Marcellum): Nec te nec exercitum tuum norim nisi a quo tot acies Romanas fusas stratasque esse sciam ei facile esse dicam opprimere populatores nostros vagos. Codices habent norim si, in quo latet novi nisi. Conjunctivus praestaret si dictum esset: efficiatur vel sequatur me non novisse, nunc vero indicativus multo aptior est.

23, 43, 7: Nihil enim Marcellus ita gerebat ut aut fortunae aut temere hosti commissum dici posset. Temeritas quae hic significatur quum non minus fortunae quam hosti re committenda conspicua sit scribendum est: aut hosti temere commissum cet.

24, 25, 8: Ea natura multitudinis est; aut servit humiliter aut superbe dominatur; libertatem quae media est nec stupere modice nec habere sciunt. Ita codd. Quod Madvigius dicit potuisse unam libertatem inter dominationem et servitutem mediam poni, nunc aperte habere modice sic contrarium poni superbae dominationi ut alterum verbum contrarium referri debeat humili servituti, non video quid repugnet quominus re vera unam libertatem dominationi et servituti contrariam relatam esse, verba autem nec stupere modice nec habere ex relatione contraria exempta in universum de ratione qua multitudo libertate uti solet posita esse dicamus. Quodsi praeterea tenebimus de Syracusanis tum ipsum servitute exuta in libertatem ruentibus sermonem esse, facile verum inveniemus. Scribendum enim est: libertatem quae media est nec accipere modice nec habere sciunt.

24, 45, 5; in verbis qui (codd. et) quum illud potius agendum atque cogitandum (codd. atque os agitandum) sit . . . ne qui socii populi Romani

(codd: populo Romano) desciscant, id non cogitent (codd: et non vocitent), documentum autem dicant (codd: dicatur) statui oportere, si quis resipiscat et antiquam societatem respiciat, qualia Gronovius constituit recte Madvigius id non cogitent vitiosa esse intellexit. Quod ipse conjecit et ut novi concilientur, documentum etiam dicant statui oportere quum propter vocis autem quam corruptam esse admodum improbabile est mutandae necessitatem displicet, tum quia illo tempore dummodo veteres socios retinerent a novorum conciliandorum studio Romani prorsus alieni erant. Requiritur quod et ad proximum enunciatum quum illud cet. contrarium referri et cum verbis documentum autem ita compöni possit ut particulae autem non repugnet. Id efficiemus scribendo: qui quum illud potius agendum atque cogitandum sit . . . ne qui socii p. R. desciscant, ulcisci defectionem cogitent, documentum autem dicant statui oportere cet.

24, 34, 10 (in apparatu quo Syracusarum urbem defendebat Archimedes describendo): Quae propius quaedam subibant naves . . . in eas . . . ferrea manus . . . cum injecta prorae esset . . . navem in puppim statuebat. Vox quaedam quae explicationem non habet delenda est. Originem traxit ex vicino enunciato 34, 3 submissa quaedam cet.

25, 36, 10 (de Poenis per objectas a Romanis clitellas viam sibi facientibus): Ceterum neque transilire nec moliri onera objecta . . . facile erat traditis dibi cum amoliti objecta onera armatis dedissent viam pluribusque idem partibus fieret capta jam undique castra erant. Antequam Madvigii emendationes nossem, conjeceram facile erat. Opera data diu cum cet., cui conjecturae Madvigianam facile erat. Trudentes sudibus cum cet. praeferre in animum inducere non potui.

26, 32, 1: Consul alter de postulatis Siculorum ad patres rettulit. Ibi quum diu de sententiis certatum esset cet. Quum nec de sententiis quibusdam in universum certatum esse Livius narret, sed de iis quae postea demum commemorantur, nec de sententiis certare ad usum Livianum accommodatum sit, recte Gronovius voce de offendisse censendus est, qui quod de delere voluit, paullo melius scribemus: ibi quum diu diversis sententiis certatum esset cet. cf. 42, 50, 1: ibi aliquamdiu diversis sententiis certatum est.

26, 40, 9: Hanno . . . ad comprimendam seditionem processit, atque ille quum ei . . . clamor Romanorum haudquaquam ignotus ad aures accidisset, priusquam ad ictum teli veniret, capessit fugam. Hic pronomen ille in continua de uno eodemque viro narratione defendi nequit. Scribendum est: processit atque illico quum cet.

26, 45, 9: Hoc cura ac ratione compertum in prodigium ac deos vertens Scipio qui ad transitum Romanis mare verterent et stagna auferrent . . .

Neptunum jubebat ducem itineris sequi. Numerus pluralis stagna pro quo ante et post singularis ponitur male defenditur exaggerationis cujusdam poeticae artificio. Scribendum est stagn[i vad]a, cf. 26, 48, 4: inexplorata stagni vada.

29, 1, 22: Trepida omnia (in exercitu Romano) ut inconditam turbam tironum esse. Male vox omnia genere neutro elata ad ipsam inconditam turbam refertur. Scribendum est: ut [apud] inconditam turbam.

29, 18, 7: Haec cum audisset legatus vester tribunique militum et mille alia quae non augendae religionis causa sed praesenti deae numine saepe comperta nobis majoribusque nostris referebantur cet. Codd. numini saeconferta nobisque nostris. Miracula illa quae potentiam deae testarentur et comprobarent praesenti deae numine non comperta sed edita sunt; ipsum deae numen iis compertum est. Itaque scribemus: quae . . . praesenti deae numine saepe comperto a nobis majoribusque nostris referebantur.

29, 22, 14: De Scipione nusquam nisi in senatu actum ubi omnes legatique et tribuni classem eam exercitum ducemque verbis extollentes cet. Vox eam uni classi perquam inepte apposita delenda est.

30, 11, 9: Ut pedes Romanus repentino per turmas suis viam dantes intercursu stabilem aciem fecit . . . primo barbari segnius permittere equos, dein stare ac propere turbati novo genere pugnae postremo non pediti solum cedere sed ne equitem quidem sustinere cet. Hic primum apparet ac non posse cum postremo conjungi sed particulis primo, dein, postremo tria enunciata inter se excipientia indicari. Reliquae sunt duae conjecturae propere turbari et prope turbari quarum illa evertitur eo, quod vox propere repugnat sedato narrationis progressui particulis primo, dein, postremo significato, haec magnopere displicet, quod non intelligitur, cur prope turbati esse dicantur barbari qui re vera se et satis turbatos esse jam segnius equos permittendo et stando probaverant. Itaque scribendum est: dein stare ac trepidare turbati novo genere pugnae.

30, 42, 7: De his rebus interogati Macedones cum perplexe responderent neque ipsi mite responsum tulerunt. Codd: ipsi ante. Vulgatam pravam esse suo jure contendit Madvigius. E variis conjecturis Weissenborniana ipsi id senatus responsum tulerunt proxime ad veritatem accessit. Scribendum enim est: cum perplexe responderent, ab senatu responsum tulerunt cet.

31, 36, 7: Primo rex intra vallum suos tenuit ut cresceret simul et neglegentia cum audacia hosti. Non esse quo simul et referretur non fugit Weissenbornium. Itaque scribemus: ut cresceret [temeritas] simul et neglegentia cf. c. 41, 8: temeritas eorum neglegentiaque.

32, 13, 1: Postero die consul per ipsas angustias qua se inter valles flumen insinuat hostem sequitur. Non pluribus vallibus sed una tantum Aoum

fluxisse suo jure monuit Weissenbornius. Itaque scribemus: qua se intervallis flumen insinuat.

33, 33, 3: Cum robur juventae tum gaudium ex tam insigni gloriae fructu vires suppeditabat (T. Quinctio.) In Bambergensis scriptura gloria et fructus aliquid latere recte suspicatus est Weissenbornius. Scribendum est: gaudium ex tam insigni gloria et fructu [virtuti]s vires suppeditabat.

34, 15, 7: Non sustinuit impetum eorum statio quae portae apposita erat, et ceteri postquam intra vallum hostes vident ipsi castris exuti signa armaque abjiciunt. Bamb. habet ipsi exsutis omisso castris, Lov. 1 castris exustis. Etiamsi illi hostem intra vallum videbant, nondum tamen castris exuti esse dici poterant, donec ipsi ea reliquissent. Itaque scribendum est: ipsi castris exeuntes signa armaque abjiciunt.

34, 16, 9: Ad hunc vanum et sine auctore ullo rumorem. Scribendum esse sine auctore ullo [ortum] rumorem probant hi loci: 32, 23, 2: rumores temere sine ullis auctoribus orti; 33, 41, 1: rumor sine ullo satis certo auctore allatus; 33, 44, 7: vana spes ex vaniore rumore orta; 37, 51, 8: fama temere vulgata sine auctore; 39, 43, 1: fabulae sine auctore editae; 3, 34, 6: ad rumores hominum de unoquoque legum capite editos.

34, 33, 3: His dictis invicem auditisque nox prope diremit colloquium. Re vera noctem colloquium diremisse quum probent proxima postero die neque quemquam Weissenbornii interpretationem: die Nacht in der Nähe, der Umstand, dass die Nacht in der Nähe war, amplexurum esse arbitrer, scribam: nox obrepens diremit colloquium.

34, 37, 6: Paucorum excursio lacessentium et emissa jacula extemplo et Romanis dubitationem quin bellandum esset exemerunt. Bamb.: ex templo qui et Romanis. Itaque scribendum est: extemplo Qui[nctio] et Romanis.

35, 34, 4: Aetoli consilium uno die spei quoque non audacis modo sed etiam impudentis ceperunt Demetriadem, Chalcidem, Lacedaemonem occupandi. Pravitatem verborum uno die demonstravit Madvigius; conjectura ejus consilium rei spe cet. nec per se probabilis est et a codicibus nimis recedit. Scribendum est: consilium immodicum spei quoque cet.

35, 47, 6 (Philippus quidam Megalopolitanus) se oriundum a Magno Alexandro ferens filiis duobus Philippum atque Alexandrum et filiae Apamam nomina imposuerat quam regiis (Amynandri Athamanis) inclutam nuptiis major ex fratribus Philippus secutus in Athamaniam fuerat. Vox inclutam non cum Madvigio in inclusam multo minus in illigatam mutanda est. Scribendum est: quam regiis junctam nuptiis, cf. 4, 9, 5: nobilis superior judicio matris esse quae quam splendidissimis nuptiis jungi puellam volebat.

35, 51, 10: Quum id quod caput erat Euboeae teneret rex ne ceterae quidem ejus insulae urbes imperium abnuerunt. Verba id quod caput erat interpretationem habent nullam nisi: was die Hauptsache war; hic scribendum est: quum [oppidum] id quod caput erat Euboeae teneret rex.

36, 2, 1: His ita in senatu ad id quae cujus provincia foret decretis tum demum sortiri consules placuit. Recte Madvigius perspexit, ea quae exposita eatenus essent, in incertum sortis eventum decreta esse. Eam sententiam efficiemus si scribemus: his ita in senatu [incerto] ad id quae cujus provincia foret decretis.

